

edat domi, ne ad condemnationem conveniatur. Ubi duo iterum notat Gentium Doctor, primo ut alter alterum expectet, & separatissimum deponat; contra pauperes & qui sint minoris momenti homines secum ad sacrae Coenae usum admittat. Deinde ut si quis esuriat, edat domi. Ubi comestionis in Templo agapicae nec meminit, nec eam commendat Apostolus, sed esurientes ad domos suas ablegat, ut ibi ad satietatem quantum opus sit vescantur. Ex quo judiciose ut solet, collegit B. noster Schomerus, nullas tum temporis agapas in Ecclesia fuisse inter publica sacra vel post, vel ante permissas. De quo part. 2. prob. 2. quæst. 2. plura dicentur.

## PARS II DA PROBLEMATICA.

Quæstiones quasdam illustres enodans  
Circa Peccatum privatae Communionis, extra Necessitatis Casum susceptæ.

PRIMA:

QVID SIT SEPARATISMUS?

§. I. Separatissimus vi vocis separationem dicit unius ab altero, quæ quid apud Hebræos Pharisaismus, & apud Græcos σχίσμα quoque designant. Paulus Noster h. l. vocem σχίσμα usurpat, quæ à σχίζεν prognata rupturam notat, aut scissuram notante Wolffg. Musculo in Loc. Comm. f. m. 616, qualem vestis attrita, sicubi panno radi resarciatur, facile admittit Marc. 2, 21. aut muru subrutus Es. 30. 13. Translata ad Ecclesiam notat scissionem ab Ecclesia. Sumiturque ita hæc vox (1.) Generaliter pro quavis separatione ab Ecclesia, sive illa fiat in fide, sive in vita, quomodo & Libertinismus, dummodo ab Ecclesia avellit, ab aliquibus dicitur Separatissimus: D. D. Fechtii Coll. MS. de Noviss. contr. L. de Ecclesia §. 6. Nec minus Judæismus, circa Christi Tempora in plures factiones contra Ecclesiam erat divisus, quæ & fide & moribus dissidebant. vid. Alstedii Thesaur. Chronol. pag. 393. Ipsi etiam Pseudo-Apostoli in Ecclesia Apostolica quintuplicem factionem contra Ecclesiam moliti, Sparatissimum generalem fovebant, quorum alii erant Enthusiastæ, alii Perfectistæ, alii Syncretistæ seu Samaritani, Chiliastæ alii, alii Sceptici. Vid. pl. R. Dn.

D 3

Bücheri